



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XXIX. Aliis obiectionibus contra superiorem concordiam ab in commodis
desumptis satisfit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

evidenter solvatur, saltem negativè, ut aiunt, id est ita solvendo argumenta, ut evidens sit non concludere. In alia vero ratione concordie, quæ physicam prædeterminationem supponit multa includuntur, quæ ita apparent, & inter se, & cum dogmatibus fidei pugnantia, ut nobis non videantur sufficienter ne dum evidenter dissolui.

Secunda pars obiectionis erat de modo argumentandi Pelagianorum contra August. arguebant enim illum, quod introduceret factum nomine gratiæ efficacis, seu vocationis ex proposito, quod nullo colore dicerent, si concordiam libertatis cum tali gratia ad scientiam illam mediam reuocaret. Unde tertia pars illius obiectionis est, quod Augustinus nunquam usus est tali scientia ad hanc concordiam explicandam. Verumtamen quod ad Augustinum attinet in Prolegom. 2. ostendimus, illum, & scientiam mediam agnovisse in Deo, & ad nonnulla mysteria explicanda illa usum fuisse: quomodo verò illam semper cum prædeterminatione, & congrua vocatione coniunxerit, infra in speciali capite declarabimus. De Pelagianis verò siue illam scientiam ignoraverint, siue illam cognoverint, parum nostra refert, nam in hoc valde errabant, quod necessitatem auxilij gratiæ etiam adiuvantis, si multanei seu generalis concursus putabant repugnare libertati. Vnde in obiecto scientiæ mediæ (sic eam agnoverunt) non admitterent posse includi auxilium gratiæ, ut ex hypothesi præsciretur, quid esset voluntas cum illo subsidio liberè operatura, quia credebant illà hypothesim destruerè libertatem. Et ideo cogitare non potuerunt per scientiam hanc posse efficaciam gratiæ cum libertate conciliari. De Semi-pelagianis certius est, illam scientiā tribuisse Deo, male tamen illa usi sunt, non ad conciliandam libertatē cum vera gratia, sed ad defendendum bonum usum solius libertatis sine adiutorio gratiæ, & consequenter ad distribuendā veram rationem gratiæ, ponendo meritum gratiæ in merito solius liberi arbitrii, & tribuendo rationem meriti, vel demeriti operibus nunquam futuris. Et hoc putarunt necessarium esse ad concordandam libertatem cum gratia, & ad salvandam in Deo generalem voluntatem salvandi omnes homines, ut constat ex Epistola Prosperi. Et quia D. Augustinus talem concordiam non admittebat, imo validissimè impugnabat, dicebant illum introducere factum, & similia.

CAPVT XXIX.

Aliis obiectionibus contra superiorem concordiam ab incommotis desumptis satisfi.

ULtra superius dicta præcipue nobis obicitur, quod iuxta illam rationem concordie, multa videntur consequenter concedenda, quæ in Semi-pelagianis, vel etiam Pelagianis sunt damnata aut certe ad illa nimium videntur accedere. Primum est quia sequitur, auxilium efficax recipere efficaciam à libero arbitrio, & consequenter id, quod est potissimum in tali auxilio esse à nobis, & non ex Deo, quod dici non potest. Sequela patet quia iuxta nostram sententiam auxilium in re non est efficax, nisi per liberam determinationem voluntatis humanæ & ipsa vocatio non denominatur efficax, nisi per habitudinem ad illam determinationem, & quasi per determinationē ab illa. Secundum est, quia sequitur, rationem ob quam auxilium nobis datū est efficax, esse voluntatem nostram bene ventem suam libertate. Consequens est falsum ergo. Sequela patet

Ex Suarez de Gratia Pars II.

ex præcedenti propositione, quia nostrum arbitrium est, quod suo bono usu dat efficaciam auxilio, ergo est ratio ob quam est efficax. Falsitas autem consequentis probatur, quia sic homo fidelis discerneret se à non fidei per suum arbitrium contra Paulum 1. Cor. 4. Tertium est posse hominem resistere auxilio efficaci, quia potest facere, ut non sit efficax, quando quidem hoc pendet ex sua libertate. Consequens autem est falsum, quia auxilium efficax procedit ex proposito Dei ab soluto, cui nemo potest resistere, & est medium efficax ad illius propositi executionē sed voluntati Dei efficaci nemo potest resistere, videtur Elther. 13. Ergo neque efficaci auxilio. Vnde argumentor in hunc modum, quia vocationi congruè resisti potest, vel non potest. Si potest illi resisti, non est auxilium efficax, si non potest ei resisti, non minus repugnat libertati, quam prædeterminationatio physica, & difficultates omnes de illa proposita hic locum habent. Quartum inconueniens est, quia sequitur auxilium efficax non addere supra auxilium sufficiens aliquod auxilium præuenientis gratiæ, sed solam cooperationem voluntatis cum auxilio simultaneo. Ex quo ulterius fit, auxilium efficax non distingui à sufficiente, nisi in actuali effectione, & in auxilio simultaneo, ac proinde non esse efficax, quia facit hominem consentire, sed quia illo cooperante facit cum illo consensum, quæ omnia sunt à nobis in cap. 1. præcedentis libri reprobata. Quintum est, quia sequitur conversionem hominis non resolui ultimātē in solam diuinam voluntatē, sed etiam in humanam, ac subinde ex duobus vocatis ad fidem, quod vultus credat, & alter non credat, non esse tribuendum soli diuinæ voluntati, sed maxime humanæ. nam iste non credit, quia non vult, ille autem credit, quia vult. Et licet sit differentia, quod ille solo suo arbitrio non vult, iste autem non solo arbitrio, sed adiuuante simul gratia vult, nihilominus propria, & innata libertas est in suo genere non solum proxima, sed etiam vltima ratio, in quam discretio illa resoluitur. Quod si verum esset, cessaret admiratio Augustini, cur hunc trahat, & illum non trahat, & c. non facilis est ratio scilicet, quia hic vult, & ille non vult, quod neque Augustino, neque modo loquendi scripturæ consentaneum est. Et similia multa possunt obici, & inferri, quæ videntur contraria vel scripturis, vel Conciliis, vel Augustino, & ideo de his testimoniis tractando in sequentibus capitulis alias obiectiones commodius proponemus.

Ad propositas verò obiectiones respondemus, nihil posse ex nostra sententia sequi, quod errorem Pelagij, & Malsilientium redeat, cum ab utroque errore longissimè discrepet, imò utique directè opponatur. Quod facile intelliget, qui attente consideraverit, quæ de illis erroribus in Prolegom. 4. fideliter, ac diligenter tradidimus, & quæ in his quinque libris de necessitate auxiliorum gratiæ, tam excitantis quā adiuuantis, ad inchoanda, perficienda, & consummandā pietatis opera docuimus. Ad primum ergo inconueniens negatur sequela. Votatio enim congrua, sicut non habet sūm esse, vel suam perfectionem à libero arbitrio, ita neque ab illo potest efficaciam suam habere, sed vel efficienter habet illam à Deo, vel formaliter à sua perfectione quæ intrinsecè est talis virtus agendi. Neque obstat quod tale auxilium non sit effecturum, nisi cum illo sit concursus simul voluntas humana se liberè determinans: nam hinc solum fit tale auxilium non exercere actū suam efficaciam sine libero arbitrio concitante cum illo, inde vero non fit, quod auxilium ab altera causa habeat suam efficaciam, sed solum quod eam non exerceat sine illa. Sicut habitus charitatis non elicit actum sine voluntate se determinante, & tamen non recipit efficaciam

Tertium.

Quartum.

Quintum.

Respondetur ad obiectiones.

Ad primum inconueniens negatur sequela.

Kk 3

à vñ

à voluntate, sed solum non exercet illam sine voluntate. Et hoc evidentius fiat, distinguamus vocem illam *efficaciam*, potest enim significare vel vim & potestatem agendi, vel actualem causalitatem, aut effectiōem. Si ergo priori modo sumatur, evidēs est, vocationem congruam non recipere efficaciam suā à libera concordantē determinationē habet vocatio illā efficaciam, effectiue quidem à Deo, vt dixi formaliter vero per seipsam, quia habet innatā, & intrinsecam illā vim agendi, vel cauſandi, quā nomine *efficacie* in prædicta acceptione significatur. Si vero fit sermo de efficacia posteriori modo sumpta, subdistingui potest, nam duplex causalitas potest in ipsa vocatione considerari, vna antecedens ordine nature liberum consensum voluntatis, & determinationem eius, & hæc in genere causæ efficientis nondum est efficacia in actu secundo, sed in actu primo, tamē in genere causæ formalis est vera causalitas physica, quam vocatio habet, vel intellectu illuminando illum, vel in voluntate efficiendo, & vitaliter inclinando illum, & hæc tota causalitas, siue physica, & formalis, siue in suo genere effectrix bonæ voluntatis, est eodem modo effectiue à Deo, & intrinsecē ac formaliter ab ipsa met vocatione, & nullo modo esse potest à libero arbitrio, vt constat. Alia ergo est efficacia actualis, seu in actu 2. causæ efficiētis, siue physica, siue moralis. Et hæc efficacia nihil est aliud, quam ipsa actio voluntatis quatenus à tali auxilio procedit, de qua actione verissimē dicitur vocationem non efficere. Nam sine consorcio, & determinatione libera voluntatis. Propter quod rectē monuit Augustinus lib. de grat. & lib. c. arb. 2. in fine, vt qui aliquid secundum Deum operatur non alienet hoc à propria voluntate. Non tamen propterea dici potest habere auxilium à voluntate illam efficaciam, seu actionem, sed solum non habere illam sine cooperatione voluntatis, quod verissimum, est, & ab arguentibus necessario consentiendum in sua sententia. Quia licet daretur voluntati auxilium præuium prædeterminans, nihilominus non potest actu efficere consensum sine cooperatione libera voluntatis se liberē determinantis, vt etiam ipsi vel inuiri consentunt, ne vsum libertatis in consensu negent, & nihilominus non dicent voluntatem dare auxilio illam efficaciam, sed tantum auxilium non habere illam sine voluntate liberē concausante.

Sed dicent fortasse nomine *efficacie* nihil ex dictis nomine effi. intelligi, sed ipsam actualem determinationem *actiōis* quidā ad operandum: hinc enim auxilium, vel vocatio intelligatur vocatur efficax, quod includit quandam infallibilem determinationem ad agendum. tota autem ratio huius determinationis in nostra sententia videtur esse liberum arbitriū, quia vocatio illa quantumuis congrua non facit illam determinationem efficaciter, sed ad illam semper quali spectat liberū arbitrium, & ideo dicimus esse necessariam præscientiam liberæ determinationis, vt actio auxiliij sit infallibiliter futura, ergo quod ad hoc tota efficacia est à libero arbitrio, non solum respectu vocationis, sed etiam respectu Dei, quia etiam Deus non prædeterminat liberum arbitrium, sed quasi expectat determinationem eius. Declaratur exemplo de voluntate, & habitu charitatis, quando enim voluntas tali habitu affecta exercet actum amoris, licet habitus non recipiat à voluntate efficaciam quoad vim agendi, nec quoad inclinationem ad actum, nec quoad ipsam actionem, seu efficientiam eius, nihilominus à voluntate habet determinationem, & quasi applicationem quoad exercitum actus. Ita ergo erit in presenti de vocatione, nam licet sit congrua in suo vſu, vt ita dicam, & exercitio suæ actionis, subicitur voluntati, & dominio eius non minus quam habitus, hoc

enim nos necessarium putamus ad concordiam eius cum libertate.

Ad replicam respondeo, in his, & similibus objectionibus tacite supponi determinationem esse quid distinctum ab actione voluntatis, & præis illa quod nos omnino negamus. Quia non admittimus in voluntate liberē operante determinationē simpliciter præuiam in actu primo, credimus enim actionem procedentē à tali principio, non posse esse liberam, vt hæcenus latē ostensum est. Sedula autē determinatione in actu primo ex voluntate quocunque Dei auxilio preuenia, vt maneat in actu primo indeterminata (vt saluetur libertas eius in operando) immediatē sequitur determinatio in actu secundo, quæ nihil est aliud realiter, ac formaliter, nisi actio ipsa consentiendi, quia voluntas non se determinat, nisi efficiendo suum consensum. Quantum ergo ad rem spectat, parum refert loqui de illa actuali efficacia sub nomine determinationis, vel sub nomine actionis consensu, cum in re nulla sit distinctio, sed tantum in nominibus. Igitur licet ostensum est vocationem non habere efficaciam suæ actionis à libero arbitrio, sed à Deo effectiue, & ab innata virtute formaliter, ita dicendum est de determinatione. Nam vocatio de se determinata est ad talem actionem, & exercitum eius, non totaliter, vt sic dicam, sed quantum est ex parte suæ, & cum hac determinatione à Deo datur sub eadem conditione, si voluntas cooperari voluerit, & ideo licet verum sit, ostia illa vocatione, & oblato auxilio simultaneo solum expectare determinationem, quatenus à libera voluntate pendet, nihilominus nullam efficaciam vel determinationem inde recipit auxilium, sed tantum illi coniungitur concausatio (vt sic dicam) voluntatis.

Et hoc ipsum confirmat exemplum de voluntate, & de habitu charitatis, nam habitus charitatis de se satis est determinatus ad suam actionem, non est enim formaliter liber, & ideo quantum est ex se determinatus ad exercitum, & speciem sui actus, illum tamen non semper elicit, etiam proposito obiecto, quia non est integrum principium sui indiget cooperatione voluntatis, & quia voluntas libera est, & per habitum non cogitur suam cooperationem illi præstare, ideo dicitur habitus quasi applicari à voluntate ad operandum, non quia talis applicatio, vel determinatio sit aliquid præuium in ipso habitu, sed quasi per denominationem extrinsecam, vel concomitantiam, quia eo ipso quod voluntas se applicat, determinat, seu facit, habitus etiam elicit actionem, ad quam de se satis erat natura sua determinatus. Ita ergo censimus de vocatione etiam congrua, si secundum se, & secundum suam entitatem tantum consideretur, nam si spectetur, vt datur ex proposito Dei, sic habet quandam determinationem non intrinsecam, sed extrinsecam ita ordinatam ad effectum secundum præscientiam conditionatam, vt infallibiliter illum consequatur. Et secundum hanc rationem à Deo, & non ab arbitrio habet efficaciam suam etiam quoad determinationem ad talem actionem, quia ex libera voluntate Dei datur homini vocatione talis, ac tantæ actiuitatis, cum tali congruitate, & habitudine ad effectum infallibiliter consequendum. In qua obseruatione, & attemperacione maximē misericordia Dei relucet, teste Augustino lib. de spirit. & litter. cap. 3. 4. & alijs locis infra citandis. Vnde licet talis vocatio in executione illum effectum consequutura non sit sine influxu libero voluntatis humanæ, quem respicit vt infallibiliter futurum, nihilominus non habet suam efficacitatem ab illo, sicut præscientia vitionis non est in Deo sine habitudine ad effectum futurum, & tamen non est ab illo, neque suam veritatem habet tamen

ad hillo, & Pater æternus talis est est per habitudinem ad filium, & tamen non habet paternitatem ab illo. hæc enim duo longe diuersa sunt, vt est per se notum.

Ad secundum inconueniens negatur sequela. Et quia illatio probationis solum probatur ex primo inconueniente, cum illud negatum sit, & ostensum non sequi, euanesce illa probatio. Vt autem res ipsa euidentior sit, & inde nostra sententia magis confirmetur aduerto ex Augustino lib. de dono perseuer. capite decimo cooperationem nostram liberam cum vocatione congrua, vt transit in gratiam adiuuantem, & cooperantem comparari posse, vel ad voluntatem Dei, seu propositum æternum, quod Deus habuit dandi talem vocationem, vel ad actualem efficientiam ipsius vocationis cum actuali influxu liberi arbitrij cooperantis. Et iuxta hanc secundam considerationem potest esse duplex sensus illius consequentis. quod nostra libera cooperatio sit ratio ob quam nobis datur vocatione congrua scilicet, vt sit ratio, ob quam voluit Deus nobis illam dare, vel vt sit ratio ob quam vocatione in se sit, & constituitur efficax & congrua. Et in priori sensu oportet sumere illam cooperationem, vt ab æterno præuisam, quia vt facta in tempore non potest esse ratio æternæ voluntatis Dei. In posteriori autem sensu sermo esse debet de libera cooperatione arbitrij, vt in tempore exercetur.

Dico ergo si illatio fiat in priori sensu malam esse & consequens esse falsum. Nam si operatio illa liberi arbitrij spectetur, vt præcognita per scientiam absolutam qua futura præuidetur, talis præscientia supponit in Deo voluntatem, & propositum dandi homini talem vocationem; ergo non potest esse ratio illius voluntatis: si autem sit sermo de præscientia conditionata, sic licet secundum rationem antecedit propositum Dei, non tamen potest esse ratio talis propositi, quia illa cooperatio in illo signo nondum cognoscitur, vt simpliciter futura. Nam conditionalis nihil ponit in esse, nec homo est dignus premio, vel pœna propter actionem tantum sub conditione futuram, vt Augustinus lib. 2. de Dōno perseuer. c. 9. & 10. & alibi frequenter docet contra Semipelagianos. Et colligitur ex illo Sapient. 4. Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, & ratio est, quia totum illud opus quamdiu solum est sub conditione futurum, continetur sub latitudine entis, & non actualis, & ideo non potest in eo, vt sic præuiso fundari actuale meritum, nec impetratio, aut aliud simile genus causæ, vel rationis, sed solum potest fundari ratio finis. Et hoc modo verum est liberam cooperationem futuram, & sub conditione præuisam fuisse finem, propter quem voluit Deus dare vocationem congruam, vt homo consentiret; inde tamen non sequitur illam cooperationem esse operationem diuini propositi, sed potius sequitur esse effectum eius, & ad summū dici posse rationem finalem ipsius vocationis. Hoc autem non est contra rationem gratiæ efficacis: nam quomodocumque explicetur auxilium efficax, in omni sententia dicendum est dari homini, vt illi infallibiliter cooperetur, licet non detur illi, quia cooperaturus est. Hæc namque duæ habitudines per illas duas particulas vt & quia importatæ sunt inter se repugnantes, nam in posteriori indicatur præexistens causa, seu ratio, aut motiui dandi auxilium, in priori vero denotatur potius effectus, qui etiam est finis auxilij, seu vocationis Dei. Sicut Paulus dixit ad Ephes. 1. Elegit nos vt essetis sancti, non quia futuri eramus sancti, vt ibi notat Hieronymus, & eodem modo addit ibidem Paulus. Sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium volun-

tatis sue, vt sumus in laudem gloriæ eius, &c. Et Augustinus lib. de prædestinatione sanctor. cap. 17. Intellegamus (a. t.) vocationem qua sunt electi, non qui eliguntur, qui crediderunt, sed qui eliguntur, vt credant & cap. 19. Non quia credidimus, sed vt credamus vocamur, atque illa vocatione que sine penitentia est, id prorsus agitur, & peragitur vt credamus. Et Concilium Aramifican. Can. 25. cum Augustino ponderat illud 1. Corinth. 7. Misericordiam consequutus sum vt sim fidelis, addens, non quia eram fidelis. Quamvis ergo scientia conditionata futuræ liberæ cooperationis præcedat voluntatem dandi talem vocationem, eaque sufficiat, & necessaria sit, vt vocatione propter talem cooperationem tanquam propter suum proximum finem detur, non tamen sufficit, vt propter illam tanquam propter rationem, seu causam meritoriam, imperatoriam vel aliam similem detur. Quia (vt dixi) illæ habitudines sunt repugnantes, & habitudo finis optime cadit in rem nondum præcognitam, vt absolute futuram, sed vt possibilem, vel futuram sub conditione, habitudo vero alterius rationis, vel causæ postulat existentiam causæ saltem, vt absolute futuram, seu præsentem in præscientia.

Et à posteriori hoc confirmatur, quia in multis Deus præuidit sub conditione fuisse consenturos, si vocarentur tali modo, vt de Tyriis, & Sydoniis dicit Christus Matth. 11. & tamen non propterea vocati sunt illo modo, vt ponderat Augustinus dicto cap. 10. de Dōno perseuer. & in Enchirid. cap. 95. Et in omnibus reprobis cognouit Deus sub conditione, quod consentirent, si hoc, vel illo modo vocarentur, & tamen illis non dantur vocationes congruæ, vt de Esau dixit Augustinus q. 2. ad Simplician. Igitur ex tali modo congruitatis, aut efficacitæ vocationis nullo modo sequitur dari ex parte hominis rationem aliquam decentiæ, vel congruitatis propter quam à Deo talem vocationem recipiat. Quod necesse fateantur etiam fautores physica prædeterminationis, negare enim non possunt, quin Deus priusquam velit talem prædeterminationem dare, sub conditione præuideat, hominem consenturum si illi tale auxilium detur: & nihilominus qui recte ex illis sentiunt, non admittunt consensum liberi arbitrij esse rationem, vel causam ob quam Deus vult dare tale auxilium, sed potius esse effectum, vel ad summum finem auxilij. Et ideo merito supra diximus, errare, qui in illa sententia dicunt consensum liberum voluntatis, licet sit à prædeterminatione, esse dispositionem ad illam, tum quia illæ duæ habitudines sunt inter se repugnantes, vt dixi, tum etiam, quia ratio facta vrget contra illam sententiam, quod ex parte hominis datur ratio, & causa auxilij efficacis, negari enim non potest quin dispositio præparans hominem ad gratiam sit ratio, vel aliqua causa illius.

Dicendum superest de altera parte, si sensus argumenti sit, ex nostra sententia sequi, quod in executione ipsa determinatio liberi arbitrij, sit ratio ob quam, seu per quam determinatio fiat efficax, & congrua. Et sic etiam nullius momenti, vel considerationis est illatio. Quia vt in præcedenti puncto dictum est, licet auxilium efficax ad suam actualem efficientiam requirat coefficientiam liberam voluntatis, nihilominus auxilium non sit efficax per efficientiam liberi arbitrij, sed per propriam virtutem, & actionem, & ita determinatio liberi arbitrij non est ratio efficacitatis auxilij, etiam in executione, sed potius sub vna ratione est effectus eius, sub altera vero est coefficientia cum eodem. Nam eadem vocatione efficax considerari potest, vel vt est auxilium præueniens, & inducens voluptatem ad consequendum, vel vt transit in statum gratiæ cooperantis, & adiuuantis. Et priori quidem ratione est causa sal-

habitudinem ad vsum liberum infallibiliter futurū non ex absoluta efficacia prædeterminate talis vocationis, sed ex spontanea cooperatione voluntatis futura; & præuisa sub conditione à Deo, qui talem vocationem vt congruam, & efficacem dare voluit. Et ideo impotentia resistendi illi vocationi vt congrua est; non supponit necessitatem absolutam, sed tantum ex suppositione consequente, vt declaratum est. Libertas autem saluatur per hoc, quod liberum arbitrium de se potens est ad resistendum illi vocationi secundum se spectatæ.

Quid addit auxilium efficax sufficienti.

13. *Auxilium efficax quid addat sufficienti.* Ad quartum inconueniens concedimus, auxilium præueniens, quod fit motio, vel qualitas distincta à toto auxilio sufficiente, & ab influxu simultaneo, & prior natura illo. Imo hoc existimamus necessarium, tum vt auxilium sufficiens sit verè sufficiens, tum vt potestas proximè libera ad efficiendum, & non efficiendum actum inueniatur in homine non tantum sufficienter, sed etiam efficaciter vocato. Vnde etiam supra diximus, vocationem congruam non addere sufficienti aliquam proprietatem absolutam, quia illa esset necessaria ad posse, & non esset in hominis potestate cum sit præueniens, & illa data non esset in hominis potestate non habere actum ad quem sic vocatur. Et sic incideremus in omnia incommoda, quæ vitare studemus. Hæ autem rationes probant de quocumque alio auxilio distincto à sufficiente, & ultra illud necessario. Nihilominus vero negamus, hinc sequi contra superius dicta, auxilium efficax non esse præueniens, quia sub ratione datur antequam homo operetur, & non constituitur in illa ratione per cooperationem, vel per auxilium simultaneum, sed per efficaciam virtutalem sibi intrinsicam, vt est sub habitu ad cooperationem liberi arbitrij de facto infallibiliter futuram cum auxilio gratie simultaneo.

14. *Vocatio collum efficax præueniens à sufficiente distinguitur, quia est per quod constituitur. Vocatio autem efficax vt antecedens est congrua, non constituitur per auxilium simultaneum, vel per actualem cooperationem liberi arbitrij, sed per attemperationem ad illam; ergo eodem modo distinguitur à vocatione sufficiente, quæ non ita attemperatè tribuitur.* Dixi autem, vt antecedenter est congrua, seu efficax, quia si spectetur vt transit in rationem gratiæ cooperantis, & adiuantis, sic verum est non distingui à vocatione sufficiente, nisi in actuali actione cum auxilio simultaneo, & cooperatione liberi arbitrij. Et simili modo licet sub hac posteriori ratione non faciat voluntatem velle, aut facere, sed cum illa faciat ipsi velle, nihilominus sub priori ratione facit vt voluntas velit, & operetur, quia illa excitat, mouet, & inducit, vt velit, & operetur. Et quia tali modo, & opportunitate datur, vt infallibiliter talem effectum obtineat, ideo non solum dicitur, & est efficax, pro vt actu cooperatur, sed etiam pro vt præmouet, & inducit ad volendum. Non est enim de ratione gratiæ efficacis, quæ facit facere, vt se sola prædeterminationem aliquam, vel ipsam determinationem voluntatis faciat, hoc enim esset contra libertatem talis determinationis, sed satis est, quod ita præmoneat vt infallibiliter obtineat determinationem liberam ab ipsa voluntate, quamuis in executione neque sola, neque prius simul cum ipsa voluntate talem determinationem efficiat.

Sic ne auxilium efficax per se tale.

Sed dicit aliquis. Ergo gratia efficax non est per se efficax, sed quia illi adiungit voluntas, & sic efficacia gratiæ quodammodo subicitur libero arbitrio, contra Concilium Arausic. Can. 6. imò etiam erit per accidens, & contingenter efficax, quod videtur contra vim, & dignitatem efficacis gratiæ.

15. *An gratia efficax sit per se efficax.* Respondeo in priori consequente particulam illam per se posse excludere consortium alterius causæ, & significare quod sola sufficiat ad suam causalitatem, vel posse significare modum causandi, & denotare quod non habeat modum causandi per se, sed tantum per accidens, vel deniq. potest significare intrinsicam connexionem inter talem vocationem, & illam efficacitatem, à qua dicitur efficax, ita vt dicatur non conuenire illi per se, quia non habet illam intrinsicè innatam ex natura sua, & ex vi suæ absolutæ entitatis.

16. *Primum sensum indicat probatio in contrarium inducta, in illo vero respondemus ad illationem priorem, duplicem causalitatem inueniri in tali vocatione. Quædam est antecedens, & quasi intentionalis, & moralis, quæ illi conuenit, vt est gratia præueniens, & inducens voluntatem ad consensum, & sic negatur illa prior consequentia. Quia reuera sola vocatio est, quæ attrahit, & allicit voluntatem prius natura, quam ipsa consentiat: nam ad hoc non cooperatur liberum arbitrium, nec alio modo est causa ipsius vocationis. Et similiter vocatio quando vt efficax datur, sola est, quæ habet illam causalitatem cum congruitate, ad capacitatem, & conditionem recipientis, hanc ergo congruam causalitatem per se sola habet quasi formaliter, eamque à solo Deo recipit, vt dixi, sine cooperatione, dispositione, aut merito liberi arbitrij. Alia causalitas illius vocationis est in actuali executione, & actione ipsius consensus, & determinationis ad illum, & sic concedenda est illatio, nam vocatio congrua non est ita efficax determinationis voluntatis, vt se sola illam efficiat, sed concomitanter cum ipsa voluntate, nec aliud esse potest de ratione auxilij efficacis, vt dixi sæpè. Nec inde fit, vt in aliquo genere causandi, & efficiendi comiteretur illud, quod verissimum est, vt infra circa Conc. Araus. latius dicemus.*

17. *In secundo sensu negatur simpliciter consequentia, quia gratia excitans, vt excitans est, non est causa per accidens actus supernaturalis. Vnde à fortiori vocatio congrua non est causa per accidens, etiam si vltimum effectum per illam intentum non ex necessaria determinatione obtineat, neque ex sola sua causalitate, sed cooperante simul voluntate libera, potest enim esse causa per se, etiam si quoad executionem causa non sit totalis in omni genere sed requirit consortium alterius causæ libere agentis. Est autè vocatio causa per se, quia non ab extrinseco, sed natura sua ad talem effectum ordinatur, vnde quando effectum obtinet, illum per se causat, vel in genere causæ finalis ratione obiecti, quod ponit, vel in genere causæ moralis quatenus voluntatem attrahit per actuale internā cogitationem, affectionem, inclinationem, & suauitatem quæ inclinationem augeat, quæ moralis causalitas in suo genere, & respectu effectus moralis est causalitas per se, & fundatur in physica causalitate formali, quam talis gratia habet in voluntate quam afficit, & intellectu, quem illuminat, vt supra declarauimus. Ac denique quando talis vocatio transit in gratiam adiuantem, etiam physice causat per se consensum voluntatis, vel per ipsummet actum, quo voluntatem excitat, vt est probabile vel per principium*

pium aliquod superfluum, quod vel supponit vel secum adducit, ut supra etiam declarauimus.

In tertio autem sensu fatemur vocationem illam esse non per se, & ex vi suae entitatis efficacem, quia licet congruitas illa ad effectum infallibiliter futurum sit valde consentanea naturae, & inclinationi talis vocationis, pendet nihilominus à futura liberi arbitrii determinatione tanquam à termino quem illa congruitas respicit, & ideo vocatione illa non potest habere illam congruitatem ex necessitate absoluta, & simpliciter, non potest ergo ab intrinseco, & per se illi conuenire, nisi ex suppositione talis termini, & quia suppositio illa est simpliciter libera, & contingens, ideo congruitas etiam conuenit contingenter illi vocationi secundum se spectata. Supposita autem congruitate per se, ac necessario est efficax, quia est per se causa effectus, ut declarauimus, & ex hypothesi infallibiliter habebit effectum. Et hoc satis est ad omnem perfectionem, & utilitatem gratiae efficaciae, non enim consistit eius perfectio, vel utilitas in hoc, quod libertatem tollat, sed potius, ut sit utilis, oportet, ut libertatem conseruet, & iuuat, & perfectio eius in hoc consistit, quod ut subest sapientissimae ac omnipotentissimae providentiae, ita attemperatur voluntati liberae, ut eam liberè, & infallibiliter in consensum inducat. Atque hoc modo per huiusmodi concordiam, & gratiae dignitas, & arbitrii libertas in suo gradu, & ordine optimè saluantur.

In quem fiat vltima resolutio humanae conuersionis.

18. Respondetur ad quintum inconueniens de vltima resolutione humanae conuersionis.

Ad quintum inconueniens de vltima resolutione humanae conuersionis, & salutis, quod fieret vltimè in liberum arbitrium, & non in solam diuinam voluntatem, respondemus in aliquo genere posse resolutionem vltimam, & debere fieri in liberum arbitrium, non tamen in omni genere, & modo, praesertim in bonis operibus, & pietatis. Est ergo considerandum fautores praedeterminationis physice contendere, omnem actum, omnemque consensum voluntatis nostrae reducendum esse in solam Dei voluntatem, adeo ut interdum dicant, hanc causalem propositionem falsam esse. Quia homo vult consentire, & cooperari Deo excitanti, vel conuerti, ideo consentit, cooperatur, vel conuertitur. Quia ipsummet cooperari voluntatis humanae reducit in voluntatem Dei tanquam in causam per se efficientem. Vnde inferunt, cum quaeritur cur homo vocatus à Deo velit conuerti, non esse respondendum, quia vult, nec esse sistendum in facultate liberi arbitrii, sed esse respondendum quia Deus vult, & quia facit illi consentire, efficaciter determinando illum ut liberè consentiat. Solus autem Deus ideo vult determinare voluntatem hominis, quia vult, quia sola voluntas diuina est, quae non habet aliam priorem se, & ipsa est prior ceteris, quia est prima causa omnium rerum, & omnium determinationum. Vnde inferunt vltimè voluntatem creatam non habere in sua potestate, & dominio primam (ut ita dicam) deliberationem sui actus, sed hanc esse in Deo qui est primum deliberans, & primus Dominus, & ideo necesse est ut prius ipse deliberet, & decernat efficaciter, quid voluntas humana deliberatura sit, & voluntura, & tunc poterit voluntas humana illud ipsum quod Deus decreuit velle, & deliberare, & non aliud. Ad hoc autem persuadendum non alia argumenta adducunt, nisi quibus praedeterminationem physicam probare nitantur, quae partim iam soluimus, & alia in sequentibus capitulis tractanda sunt. Et quamuis interdum videantur illam doctrinam limitare, ad actus gratiae, vel ad actus bonos, si tamen

fundamentum bonum est, eodem modo procedit de omni humana deliberatione, & determinatione in omni materia. Nam etiam Iudas non habuit primo potestatem, & dominium deliberandi de Christi venditione, & in eam liberè consentiendi, sed Deus primo hoc deliberauit & decreuit, ac efficaciter voluit ut Iudas idem deliberaret, ac veller, & ideo Iudas id secum statuit, quia Deus ita deliberauerat secundum consilium voluntatis suae. Quod absit ut credamus, aut de Deo cogitemus.

Nos ergo respondemus distinguendum in primis esse ordinem executionis ab ordine diuinae praedestinationis. Incipiendo ergo ab ordine executionis, quia ab illo debet fieri resolutio ad ordinem praedestinationis, dicimus in primis, etiam in actibus pietatis faciendam esse resolutionem liberi consensuum in facultatem liberi arbitrii, non quidem solam sed diuinam per gratiam illique cooperantem. Hoc videtur certum, quia talis consensus liber est ipsi homini consentienti, sed illam denominationem, & rationem liberi non accipit nisi ab innata facultate libera ipsius voluntatis, non est enim hic consensus mihi liber, quia Deus de illo deliberat, sed quia ego de illo libero, & facultatem, habeo illum faciendi ex sola innata libertate. Ergo necessaria est aliqua resolutio faciendi in facultatem liberi arbitrii. Vnde non potest illa causalis propositio negari. Quia homo vult consentire, cooperari, vel conuerti, supposita excitante gratia, ideo consentit, cooperatur, vel conuertitur. Nam profecto si homo non conuertitur, quia vult, non potest voluntati eius tribui conuersionem: nam id tribuitur voluntati, quod facit, quia vult, si autem conuersio non potest tribui voluntati, multo minus poterit libertati, cum id solum sit liberum quod est in voluntatis potestate. Est ergo illa causalis omnino vera, & Catholica, quia homo vult gratia vocanti consentire, quam ex Scripturis, Conciliis & Patribus in sequentibus capitulis comprobabimus.

Nunc sufficiunt verba Augustini. lib. 83. Quaestionum q. 68. Si quis sibi tribuat ut veniat vocatus non potest sibi tribuere, quod vocatus sit, quibus aperte concedit, rectè tribui homini venire post vocationem, hoc tenet esse consentire, non autem alia ratione tribui, nisi si quia sua libertate, ac voluntate venit, quia vult, cum dicitur de spiritu & liter. cap. 34. cum dixisset, forum suasionibus agere Deum, ut velimus, &c. concludit. Sed consentire, vel dissentire proprie voluntati est. Si ergo est propria voluntatis, certè consentit, quia vult. Quare (subiungit) non solum non infirmat quod dictum est. Quod enim habes, quod non accepisti? Verum etiam confirmat. Accipere enim, & habere animam non potest dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo, ac per hoc quid habeat, & quid accipiat, Dei est, accipere autem, & habere vique accipientis est. Quibus consonat quod ait epistola 54. ad Macedon. parum ante medium. Homo cum bonus est, ab illo bonus est, scilicet Deo, illius enim spiritu boni sunt quicunque boni sunt, cuius ceptus creata est nostra natura per propriam voluntatem. Pertinet ergo ad nos, ut boni simus, accipere, & habere quod dat, qui de suo bonus est, quo quisque neglecto, de suo malus est. Dicitur autem accipere ad nos pertinere, quia in nostra situm est voluntate, ergo conuertimur, consentimus, & cooperamur, quia volumus, hoc enim modo Dei dona accipimus. Vnde merito dicit Prosper. lib. 1. de vocat. gent. cap. trigésimo quinto. Frustra dicitur quod ratio operandi non sit in electis cum etiam ad hoc operentur, ut electi sint. Deinde asserto, hanc resolutionem ita fieri in voluntatem, ut non excludatur vera, propria, ac praecipua causalitas efficiens Dei preparantis, & adiuuantis non tamen praedeterminantis voluntatem. Prior pars certissima est, & à nobis saepe repetita. Ostendimus enim sine gratia vocante, & adiuuante physice nihil boni operari nos posse; maximum autem bonum est

est consentire gratiæ vocanti; ergo neque id potest, nisi in virtute ipsius vocationis & gratiæ. Unde hæc causalis propositio simpliciter vera est. *Homo consentit, & conuertitur, quia à Deo accepit, & consentiat, & conuertitur.* nam vt hæc sint dona Dei non oportet, vt solus Deus illa faciat, sed satis est, quod gratis illa solus inchoet, & principaliter consummet. Et sic etiam verè dicitur, homo operatur, seu consentit, quia Deus vocatione illum attraxit, & illi persuasit. Quomodo dixit Augustinus dicta quæst. 68. eos, qui vocati venerunt, non debere sibi tribuere quod venerint, vtique solitariè, vel primario, *quia nec venire possent nisi vocarentur.* Ac similiter verissimè dicitur homo consentire liberè, quia Deus efficienter, & liberè adiuvat illum vt consentiat, tam vt causa prima ordinis gratiæ, quam per modum causæ proximæ, dando illi virtutem supernaturalem agendi, vel per habitum, vel per seipsum, cum illo principaliter cooperando. Igitur hoc genus adiutorij, & causalitatis optimè per illam causalem explicatur homo consentit, aut vult piè, quia Deus illum adiuvat, & vult illum bene operari. Nam voluntas Dei est prima causa illius operis, etiam si non antecedit in illa absolutum decretum, sed voluntas concurrendi quantum est ex parte sua, tum quia illa etiam est vera causa efficiens cum voluntate humana, si illa cooperetur, tum quia in eodem opere & actione, licet illæ duæ voluntates quoad influxum ad extra simul natura concurrant, voluntas creata semper concurrat vt pendens ab increata, & non è contra, tum denique quia voluntas Dei præcedit offerens suum concursum, & auxilium, per quod potestas voluntatis humanæ fit modo completur. Ita ergo illa resolutio consensus voluntatis humanæ in diuinam, vt cooperantem, & iuuantem.

Altera verò pars negatiua de voluntate prædeterminante in superioribus satis probata est; nam propter subordinationem, & dependentiam essentiali causæ secundæ à prima non est necessaria illa resolutio, vt in actibus malis satis ostenditur. Neque propter bonitatem, vel supernaturalitatem consensus, est necessaria, quia in hoc genere dependentiæ referunt eadem proportionem, & ad illos possunt dari physica principia proportionata, & offerri concursus sine tali prædeterminatione. Et alioqui illa prædeterminatio non stat cum libertate. Quomobrem addimus in hoc genere resolutionis vltimæ, si per particulam vltimam solum excludatur prior causa determinans, licet resolutionem liberæ determinationis voluntatis humanæ etiam in consensu supernaturali & operibus pietatis fieri in facultatem liberam voluntatis creatæ, sistendo in illa supposita supernaturali preparatione eius cum omnibus principiis supernaturalibus, moralibus, & physicis præuis necessariis ad operandum. Quia vt paulo antea explicauimus adæquatum principium illius determinationis liberæ coalescit ex vocatione habitu infuso, Deo vt iam libera sua determinatione exposito ad concurrendum, vel iuuandum, & voluntate libera hominis. Quo principio sic constituto, & præintellecto in quodam signo naturæ actualis determinatio peculiari modo pender liberè à sola voluntate creatæ, nam alia principia iam de se sunt determinata, vt declarauimus, & ideo in executione, & ortu talis actionis ab illo adæquato principio verissimè dicitur ideo nunc fieri talem actionem, quia voluntas hominis liberè vult, & antea non fuisse factam, quia nolebat. Item est verum quod voluntas hominis ideo nunc vult, quia libera est, & quia ipsa se determinat, non prædeterminata ab alia priori voluntate, quamuis non se determinet nisi dependenter à priori voluntate, & ideo non sit primum deliberans, nec primum se deter-

minans. Quæ omnia in superioribus satis explicata, & probata sunt. Neque contra hoc video rationem alicuius momenti, quæ non possit in actibus liberis circa obiecta præua inficiari, & ex principiis positis facile solui. Nam hinc non sequitur vel voluntatem hominis facere aliquid sine Deo, vel facere aliquid prius quam Deus illi cooperetur, vel quam illum excitet, & adiuuet, si opus sit primum, nec sequitur, voluntatem conferre aliquid gratiæ in actuali operatione, sed solum sequitur gratiam nihil in illo consensu, vel determinatione efficere sine voluntate se determinante. Nec denique sequitur hanc determinationem hominis fieri sine præcedente deliberatione, & decreto Dei, nam præcessit deliberatio Dei, qua statuit vocare, & iuuare hominem, & cum illo concurrere si ipse velit. quod per se sufficit ad exhibitionem consensus liberi, quantum ad ordinem executionis spectat.

Possimus autem vterius progredi, resoluendo hanc totam executionem in diuinam prædeterminationem. Et sic in operibus pietatis, & in libero consensu, at determinatione eiusdem ordinis, de quibus nunc loquimur, facile admitimus, & verissimum credimus, hominem congruenter vocatum, ideo velle credere v. g. quia vult, & ideo velle, quia congruenter vocatus est, & ideo vocatum esse congruenter, quia Deus voluntate eum vocare, & ideo illum etiam vocasse, quia absoluto, & efficaci decreto voluit, præfinit seu prædestinavit illum, vt crederet. Imo credimus iuxta Augustinum subordinationem, seu emanationem vocationis ab hoc proposito Dei esse de ratione talis vocationis congruæ, vt videre licet in eodem Augustino lib. de Correp. & grat. cap. 7. & 14. & lib. 5. contra Iulian. cap. 4. & aliis locis infra in proprio capite citandis. Et hoc decretum necessarium est, & sufficit, vt salus hominis, & discretio inter iustos, & iniustos in solam Dei voluntatem vltimo resoluatur, iuxta illud ad Roman. 9. *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miscentis,* & alia quæ capite sequenti insinuabimus.

Neque hinc sequitur prædeterminatio, quæ ad extra in humana voluntate fiat. nam aliud propositum Dei non transcendit ordinem intentionis, nec per se exequitur quod vult, nec immutat voluntatem humanam plusquam necessariam sit, vt tale propositum infallibiliter impleatur, vt autem illud infallibiliter impleatur, sufficit vocatio congrua, vt iam explicatum est, ideoque prædeterminatio physica necessaria non est. Imò repugnaret tali decreto: nam per illud vult Deus vt homo liberè consentiat, quod non potest per physicam prædeterminationem executioni mandari, quia illa non faceret liberè consentire, sed necessariò, vt in superioribus visum est. Quocirca secundum executionem loquendo dicendum est, ex duobus sufficienter vocatis, hunc consentire, quia vult, & vterque operatur pro sua innata libertate, quamuis non operetur sua vterque potestate. Nam prior non solis viribus naturalibus id facit, sed cooperando gratiæ, alter sola innata potestate dissentit. Ascendendo autem ad inscrutabilia iudicia diuinæ prædestinationis, vnus credit, quia Deus prædestinavit illum, vt crederet, & quia Deus voluntate absoluta prædestinavit vt crederet. De altero autem non possumus dicere, non conuerti, quia Deus noluit, vel quia prædestinavit, vt non crederet, quia Deus id non intendit, neque voluit, sed tantum permisit, & ideo quoad partem in voluntate ipsius homini sistendum est, non creditur enim, quia noluit vocationis assentire, noluit autem, non quia ex parte vocationis aut Dei aliquid illi necessarium deesset, sed quia noluit, &

ibi tanquam in vltima ratione sistendum est. De qua re dixi plura Tractat. de prædeterminatione. & reprobatur.

CAPVT XXX.

Doctrina data de auxilio efficaci, & concordia eius cum libero arbitrio, verbis Christi Matth. 11. comprobatur.

In Scripturis nil expressè traditum de auxilio prædeterminationis, vel de vocatione congrua, &c. sub his expressis vocibus.

Suppono in scriptura sacra non inueniri aliquid expressè traditum de auxilio prædeterminante, vel de vocatione congrua, imò nec de auxilio efficaci, sub his expressis vocibus, sed ad summum inueniri verba prædeterminandi, præfiniendi, aut deferendi, Deo ex æternitate attributa etiam quoad effectus à libero arbitrio dependentes. Sed de his iam in superioribus diximus esse longè diuersa à verbo prædeterminandi prout significat motionem quam Deus voluntati hominis in tempore infert, vt modo illo vtimur, an vero liceat ab vno ad aliud argumentari, licet dictum etiam sit, aliquid fortasse attingemus. Vocationis autem, & auxilij nomina sæpè inueniuntur in Scriptura, cum addito vero congrua vocationis non inuenitur. Solum ad Hebr. 4. loquens de Christo Paulus exhortatur nos, vt æquamus cum fiducia ad thronum gratia eius, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Quæ vox magnam affinitatem habet cum auxilio congruo, & ita D. Thomas exponit, id est, congruo tempore, & ita ceteri verbum illud maxime exponunt de temporis opportunitate, scilicet, vel in quo maxime illo indigemus, vt est tempus tribulationis, persecutionis, ac tentationis, vel etiam mortis, aut certè de tempore in quo nobis prædesse possit, vt est tempus huius vitæ, vt cum Chrysostomo exponit Theophyl. At vero nihil obstat, quin ibi etiam significetur auxilium omni ex parte ita opportunum, vt de facto proficit, tale enim maxime petendum est, in nihilominus tamen qualis esse possit vel requiratur opportunitas, ibi non declaratur, nec in alio Scripturæ loco, vt dixi. Ideoque non sunt petenda expressa testimonia, quibus vera doctrina de auxilio efficaci comprobetur, sed per illationes, ac deductiones vel necessarias, vel maxime probabiles, veritas hæc ex scriptura eruenda est. Tribus autem modis doctrinam datam ex Scriptura colligimus. Primo ex locis in quibus docemur, eandem vocationem quæ in vno homine est inefficax, in alio esse efficacem. Secundo ex alijs quæ in proxima potestate voluntatis humanæ, supposita vocatione Dei, ponunt tam resistere illi, quam facere, vt effectum habeat, ac subinde efficax sit. Nam ex vtriusque principio concluditur, prædeterminationem physicam non esse necessariam ad efficaciam gratiæ, ac subinde in vocatione congrua ponendam esse. In tertio vero loco addi possunt testimonia quæ ita commendant vsum, & modum libertatis, vt consequenter prædeterminationem excludant.

Primum ergo argumentum sumimus ex illo loco Matth. 11. *Va tibi Corozain, Va tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in te, olim in cilicio, & cinere poenitentiam egissent.* Vt autem ex hoc Matth. c. 11. loco argumentum validum sumi possit, oportet supponere verba Christi non per exaggerationem, aut per coniecturam fuisse dicta, sed certissimam prophetiam ex infallibili præscientia profectam continere. Hoc probatur suppono ex Prolegom. 2. & alijs locis ibi citatis, nunc sufficit nobis autoritas Augustini libro de dono persever. capite 10. & 14. & in Enchirid. cap. 95. quibus locis illis verbis

Christi vtitur tanquam certissimis, & apertissimam continentibus prophetiam. Quo supposito sic ex hoc loco argumentamur. Si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ coram Iudæis factæ sunt, cum solo interiori auxilio quod Iudæis datum, & oblatum est, illi credidissent, sed Iudæis habitatoribus Corozain, & Bethsaida tantum fuit data vocatio sufficiens, quæ posset velle credere, & non est data prædeterminatio physica, vt constat, quia noluerunt credere, ergo Tyrij, & Sidonij cum eadem vocatione crederent absque alia prædeterminatione, ergo illam et vocatio, quæ in quibusdam non fuit efficax, in alijs foret efficax, & non propter prædeterminationem, ergo quia illi attemperarent voluntatem suam vocationi, & quia vocatio esset illis attemperata, & congrua, licet alijs non fuerit.

Ad hoc argumentum respondent, negando Tyrios & Sidonios fuisse credituros per eandem vocationem externam, & internam solam præuenientem, sed fuisse credituros, quia eorum voluntates à Deo prædeterminarentur. Quia illa præsentia Christi supponebat decretum Dei conditionatum, quo statuerat dare Tyrijs & Sidonijs prædeterminationem si apud illos factæ essent omnes virtutes, quæ in alijs ciuitatibus factæ sunt. Nam Christus Dominus non dixit, quod si illæ virtutes factæ essent, apud Tyrios cum illis solis, vel sine prædeterminatione credidissent. Sed hoc ex parte reuertitur in prolegom. 2. vbi ostendimus frustra in Deo contingi talia conditionata decreta. Hic verò ex proprijs impugnat tripliciter. Primo aperte, primo testimonio Augustini dicto lib. de dono persever. cap. 14. vbi ex verbis illis Christi ita colligit. *Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio diuinam naturalem minus intelligentiam, quo mouentur ad fidem, franguntur suis mentibus vel audiant verba, vel signa comprehendunt.* Hæc enim illatio Augustini nullius momenti est, si verum est Tyrios & Sidonios fuisse credituros, quia danda illis fuisset prædeterminatio, quæ non fuit data Iudæis, quia licet in Tyris non fuisset aliud intelligentie lumen, nec alia ratio congruitatis, sed in omnibus antecedentibus conditionibus essent pares Iudæis, imò licet essent inferiores, & virtutes factæ apud illos essent minores, si danda esset illis prædeterminatio, infallibiliter essent credituri. Ergo vel Augustinus, si alias sentiebat aliud discrimen fuisse futurum inter Tyrios, & Bethsidas ex diuina prædeterminatione illis danda quæ illis fuit negata, ineptissimè intulit aliud discrimen in congruitate, vel si hoc de Augustino sentire ineptissimum, & insolentissimum est, fatendum est illum non cognouisse talem prædeterminationem, nec conditionatum decretum de illa danda Tyrijs, sed in sola congruitate à Deo præcognita diuersitatem illam quoad efficaciam posuisse.

Secundò impugnat illa responsio, quia ex illa redditur omnino inefficax, imò iniusta Christi doctrina exprobratur. Probat sequela, quia iuxta illam responsionem hunc fuisse oportet sensum comparationis Christi. Si in Tyro, & Sidone essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, illis data etiam fuisset diuina prædeterminatio quæ vobis data non est, & sic, in cinere & cilicio poenitentiam egissent. Ad hæc quæ exprobratio Iudæorum est? Profecto potius esset excusatio. Nam si hoc Iudæis immo retinet, merito responderent. Quid mirum quod illi crederent prædeterminationem reicientes ad credendum? Da nobis illam & credemus. At quid nos reprehendis, si prædeterminationem sine qua impossibile est, voluntatem nostram determinari ad credendum, non habemus, nec tu illam nobis dabis aut offers, neque nos aliquid agere possumus quæ illam